S· D· N·

PAVLI
PAPAE V.

CONSTITVTIO

Contra mulieres ingrediendi Monasteria Monialium licentijs abutentes.



ROMAE,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

MDCIX.

PAVLVS PAPA V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Facultatum plura Monasteria Monialium ingrediendi abusus tollere volentes, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona cuiuscunque gradus, stàtus, & conditionis, ac præeminentiæ existat, etiam si Ducali, Marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore licentiarum plura Monasteria, Domos, & Loca Monialium, pluribus vicibus ingrediendi, etiam absq; clausula (in totum, seu in vniuersa, non autem in eorum aliqua, vel singula) à Nobis, vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sub quouis tenore, vel forma, etiam Motuproprio concessarum, & expeditarum, aut in posterum forsan concedendarum, & expediendarum, aliqua, vel singula Monasteria pluribus vicibus ingredi possit, sed licentiæ huiusmodi respectu vniuersorum, non autem aliquorum vel singulorum Monasteriorum suffragentur, itaut, cui bis in Anno, seu amplius, plura Monasteria ingredi conceditur, bis, vel amplius tantum vniuersa, non autem eorum aliqua, vel singula ingredi liceat, etiam si prædicta monasteria in diuersis Ciuitatibus, Terris, Diœcesibus, & locis existant. Ijsdemq; mulieribus aliter, quàm, vt præfertur, easdem licentias interpretari; vel illis vti, sub censuris, & pœnis à Concilio Tridentino, & Apostolicis Cõstitutionibus intra septa Monasteriorum Moniliũ absque licẽtia ingredientibus inflictis, ipso facto incurrendis, eadẽ auctoritate prohibemus. Præmisis & alijs quomodolibet in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus;

Volumus autem vt harum literarum exemplis; etiam impreſsis, & manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die prima Septembris 1608. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexenteſimo nono Indictione ſeptima die verò vndecima menſis februarij Pontificatus autem Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini PAVLI Diuina prouidentia Papæ Quinti anno quarto retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, & alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Dominicum de Rubeis Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.

Pro D. Magiſtro DD. Curſ. Franciſcus de Bonis Curſor.